

34 Verùm hîc nonnihil de causa meritoria specialiter agendum erit. Dicitur enim, propter satisfactionem Christi nos justificari: seu, quod idem est, satisfactionem Christi nobis imputari ad justitiam. Quæritur igitur, quânam re Christus iudicio Dei pro nobis satisfecerit, nobisq; remissionem peccatorum, seu justitiam acquisiverit? Respondemus, rem illam esse obedientiam mortis Christi, Rom. 5. vers. 19.

35 Putant quidem hodie nonnulli etiam ex præstantissimis Theologis, meritum Christi exinanitum iri, cum vitæ obedientia à justificatione nostri, tanquam causa meritoria, excluditur. Sed hoc nequaquam fit; sed tribuitur morti Christi, quod ei tribuendum, nimirum, quòd sit plenissima satisfactio pro peccatis nostris: sic etiam vitæ obedientiæ tribuitur, quod scriptura ei tribuendum perhibet, nimirum, quòd sit causa, sine quâ non potuerit Christus idoneus esse mediator inter Deum & hominem, Heb. 7. vers. 26.

36 Nec sequitur: Christus non potuisset pro nobis mortem perpeti, nisi etiam sanctè vivendo legem Dei implevisset, atque ita perfectè sanctus fuisset: Ergò sanctitas vitæ quoque facit ad justificationem nostri, tanquam causa illius meritoria. Nam pro peccato Deus requirit non sanctam vitam, sed satisfactionem per mortem. Stipendium enim peccati, mors est, Rom. 6. vers. 41. Et Deus primis nostris parentibus, si essent peccaturi contra mandatum ipsius, mortem minatus est, inquit, *Morte morieris*, Genes. 2. vers. 17. Cum autem illis promittit mediatorem, inquit, *Semen mulieris cõteret caput serpentis*. Conterere autem caput serpentis, non est vivendo sanctè legem Dei implere, sed moriendo vincere Satanam & mortem.

37 Et si hoc daremus, iniquè ageremus: quia Deum injustitiæ argueremus, qui unum debitum bis sibi persolvi pateretur, morte nimirum, & impletione perfectissimâ legis. Quod certè pugnat cum Dei naturâ, qui est justissimus: & cum scriptura, quæ certissima & verissima voluntatis divinæ testis est. Nusquam enim in scriptura docetur, Deum peccata punire per impletionem legis, sed per mortem æternam. Quam cum filius Dei pro nobis subierit, atque sustinuerit; acquiescendum nobis est in eâ, si grati volumus videri pro beneficiis morte Christi partis.

38 Ajunt quidam; non sufficere, sordidam vestem exuere, nisi nova induatur: ita nec sufficere, ut peccati originalis, & peccatorum actualium sordes per Christi sacrificium cruentum deleantur: sed opus quoq;

B